


S. D. N.

D. C L E M E N T I S
D I V I N A P R O V I D E N T I A
P A P A E O C T A V I

Super bono regimine, & recta administratione reddi-
tuum Communitatum, & Vniuersitatum
Status Ecclesiastici.



R O M AE,

Apud Paulum Bladum Typographum Cameralem. M. D. XCII.

D G E M E N T I S
D I V I N A P R O V I D E N T I A
P U P A E O C T A V I

Super posito legione, & leonis dominum loco
lumen & omnipotentiam, & Vincere iuram
Spiritus Ecclesiasticus.



R O M AE

Audibamus Epulum Thiburtiusque Camerarius. MDXCI.

CLEMENS EPISCOPVS

Seruus seruorum Dei.



D PERPETVAM REI MEMORIAM. Pro commissa nobis à Domino S. R. E. eique etiam in temporalibus subiectarum Ciuitatum, & Populorum, tutela, paternaq; erga nostros subditos caritate; præcipuo studio tenemur prouidere, vt ad eos pertinentia bona, ea, qua deceat, fide, & cura, utlitter & prouide administrentur: præsertim verò tollantur prauibus, qui in publicum & commune damnum paulatim irrepunt: Ex quibus; & haec tenus graui ære alieno communia illorum bona oppresa, vel ab ipso nostri Pontificatus initio comperimus; Et malum hoc, nisi celeriter opportuna remedia adhibeantur, quotidie in deterius pro labi videmus.

Dum enim pauci sua priuata commoda & lucra querunt, atque illicitis modis, quod præuè ambiunt, aut concupiscunt, consequi affectant, Potentiorum, aut vulgi gratiam vanis afferentiationibus aucupantur, suas denique cupiditates explere satagunt, nulla utilitatis publicæ ratione, habita, ærarium publicum ipsarum Ciuitatum & Locorum exhauiunt, graui ære alieno impllicant, inanibus pompis & ostentationibus dilapidant. Quibus malis atque incommodis (quantum, nostra vigilancia atque auctoritate, eniti possumus) occurtere cupientes. Hac nostra perpetuò valitura constitutione, statuimus, & ordinamus, vt, in qualibet Ciuitate, Terra, Oppido, Castro, & Loco dicti status temporalis Ecclesiastici vniuersi, itaut etiam Bononien. & Be-neuentan. nostra Ciuitates sub hac constitutione sint comprehensæ, Tabella, aut Libellus quoannis initio anni conficiatur, in quo sumptus omnes ordinarij & extraordinarij publicè vtiles, aut necessarij, sint descripti: Et earum quidem, quæ certæ, & ordinaria sunt, expensarum, certa etiam taxa & summa exprimatur, quæ verò incerta, & extraordinaria videbuntur, carum vniuersæ summa aliqua annua taxetur, quam toto anni curriculo excedere nequaquam liceat: Siquidam verò pro rei indigentia, ex vniuersa summa sit taxata à toto Consilio, cum interiuèt Præsidis, Gubernatoris, aut Poteſtatis, portiones necessariæ infra annum detrahantur, eaq. Tabella, aut Libellus per Gubernatorem, seu Præsidem Prouinciae, aut Ciuitatis, & cuiuscunq. Terra Oppidi, & Caſtri Prætori, seu Poteſtatem, singulis annis: Hac verò prima vice non solum ab ipsis: sed etiam post eos intra triginta dies tunc proximè sequentes, à dilectis filiis S. R. E. Cam. & Thesaurario generali Cam. Apost. accuratè & diligenter inspiciatur, corrigatur, & approbetur, ex pœnit. inde ijs omnibus imþesis, quæ præter, aut contra hanc nostrā Constitutionem, etiam ex statuto, vel consuetudine antiqua fieri solebant, ac rectento ipsius Tabellæ, seu Libelli exēplo, seu Registro penes Camerā Apost. gratis, & absq. vlo earundem Communitati, seu Vniuerſitatum dispendio, statim intra decem dies, ab ipsius receptionis die numerados sic reuifa, aprobata, & correcta, ad predictas Cōmunitates, seu Vniuerſitates remittatur. Districte aut inhibemus sub indignatione nostrâ, & alijs grauissimis nostro, & Successorū nostrorū arbitrio, imponendis poenis, ne pro sigillo, vel pro scriptura, carta, atramento, cera, capsula, cordulis, alijs rebus, ad huiusmodi expeditionem pertinentibus, seu pro labore, aut regalibus, quidpiam, ne minimum quidem obolu, hac de causa prædicti Camerarius, aut Thesaurarius, eorumque Notarij, Tabelliones, Secretarij, Familiares, aut quilibet Officialis, vel Minister exigere, vel etiā sponte oblati, recipere præsumat, quinimò volumus, vt sine villa mora omnia gratis, & prout in Poenitentiaria Apostolica fieri solet, sine aliqua solutione expeditantur, & mittantur. Atq. in hoc, Camerarius, & Thesaurarius prædicti summo studio intuigent, & si aliquem ex suis, vel alijs Notarijs, Tabellionibus, Secretarijs, Familiaribus, Officialibus, aut Ministris, vel minimum quicquam receperit deprehenderint, aut cognoverint, contra eos, etiā ad priuationis officiorum, & munerum quæ obtinent, inhabilitatisq. ad illa, vel alia in posterū imponenda exiliij perpetui ab Vrbe, & eius distritu, & alijs grauioribus pœnis procedant. scituri, si conniuentendo, aut tolerando, aut alias quomodolibet receptionem, & exactionum huiusmodi per se, vel alium conciij, aut participes fuerint, se quoq. nostrum, & successorum nostrorum in iudicium, in hac re seuerum, vt præfertur, subituros. Verum eadem Tabella, seu Libellus, ejusque exemplum sic correctum, approbatum, & intra decem dies remissum, nedum in ipsarum Communisatum, seu Vniuerſitatum Archivio asseretur, sed in publico aliquo, omnibus patent, ac conspicue loco, pro fo-ribus Aulae vbi haberetur publicum consilium, vel vbi Ius dicitur, & frequens populi in conciliu-

affigatur, & perpetuo retineatur. Nec liceat in futurum, nisi de expressa, Camerae Apostolicae, aut si vrgens necessitas moram non patiatur, Gubernatoris, aut Præsidis Ciuitatum, & locorum, qui statim postea Camerarium, & Thesaurarium Generalem prædictos, certiores de eo reddere teneantur, licentia, cum interuentu Procuratoris Fiscalis eiusdem loci, causa cognita, etiam similiiter gratis concedenda, Tabellæ ipsius, seu Libelli tenorem etiam sequentibus annis immutare, aut alterare, neque absq; prædicta licentia, etiam in casibus impropositis, inopinatis, aut insolitis, aliquid, ultra contenta in huiusmodi Tabella, aut Libello, erogare. Quicquid vero vltra præscriptas summas erogatum fuerit, id volumus, vt ab eis, quibus exigendi, & solidandi computa, & rationes expensi, siue illa, vt dicitur, sindicandi cura, incumbit, nequaquam ratum habeatur, neq; ipsiis communibus Aerarijs dictorum locorum, aut massis, sed personis singularibus, quæ sumptis ipsos fecerint, expensum feratur, quæ etiam ad illius tanquam ab eis indebet ablati, restitutionem, teneantur: id autem quo accuratus seruetur, & earundem Ciuitatum, & Terrarum, ac Populorū utilitati amplius consulatur, præcipius, vt quilibet modernus, aut pro tempore existens Gubernator, Præses, aut Potestas, tam ex nunc, seu in ipso primo ingressu, quam deinde statim finito tempore Magistratus per quoscunq; Prioris, Massarios, Camerarios, aut Officialibus, qui magistratu funguntur, aut fungi desinunt, respectuè, plenariam informationem rerum, ad publicum regime, & administrationem communium bonorum pertinentium, præcipue vero indicem, & nomina singulorum debitorum cuiuscunq; Cōmunitatis, seu Vniuersitatis, tam ex supradictis, quam ex alijs quibuscunq; causis, accurate, & singillatim descripta, sibi traditi, eaq; postmodum cum primum solutionis dies aduenierit, aut si iam aduenierit, intra tres, aut ad summum, quatuor menses per officiales, & Magistratus earundem Communitatum seu Vniuersitatum, exigi, & in Aerarium Communitatis, seu Vniuersitatis, referri, & si quid in fine anni deductis expensis in Tabella, seu Libello descriptis, supererit, id in extinctionem aeris alieni publice contracti, aut si æs alienum nullum sit, vel in Annonam subleuandam, vel pro Monte pietatis, vel in recuperationem, & redemptionem bonorum, & rerum, seu iurum per ipsas Communitates, siue Vniuersitates alienorum, vel denique in aliorum immobilium bonorum emptionem, cum intreruentur tamen Gubernatoris, seu Potestatis, & Procuratoris Fiscalis Loci conuerteri curet. Quod si prædictas pecunias in Monte pietatis deponi contigerit, id ea conditione fiat, vt illas postea quædocunq; eadem Communitates, & Vniuersitates inde extrahere, & si eis videbitur in usus per hanc constitutionem permisso erogare valeant. Fisci vero cuiuslibet Loci Procurator perit omnino coram Sindicis, & Gubernatore, seu Præside aut Potestate intra decem dies ab ijs, qui Magistratu perfundi sunt, tam de administratione iuxta taxam in Tabella, seu Libello præscriptam, quam de alijs supradictis, præsestit nominibus debitorum inexactis rationes, reddi. Et si quid vel in expensis excessum, vel circa exactioem neglegetur; aut per negligentiam ultra tempus prædictum datum fuerit contra eosdem reos, Magistratu, vt præfertur, perfundatos, ad restitutionem indebitarum expensatum necnon ad solutionem de suo proprio debitorum per negligentiam inexactorum, ac vterius, etiam ad pœnarum in hac Constitutione contentarum, executionem procedi, quarum pars quarta ipsi Procuratori Fiscali sit applicata: Si verò post huiusmodi decem dies elapsos, Gubernator, aut Potestas in exigendis rationibus, vel in cogendo ad soluendum, vel restitutionem, aut in exequendis poenis siue alias in præmissis negligēs fuerit, ad restitutionem, & refactionem damni, ex indebitis impensis, vel tardata exactione communis Aerario cuiuslibet Loci, illati, etiam de suo proprio integrè teneatur. Procurator autem Fiscalis eius Terra, Oppidi, aut Ciuitatis, Generalem Cameram Apost. Procuratorem Fiscalem de huiusmodi negligentia certiorem faciat, siue etiam cuilibet de Populo, id denuntiare liceat, ac tam in sindicatu per eos ad quos spectat, quam postea per Procuratorem Fiscalem Generalem Cam. Apost. contra ipsos Gubernatores, & Potestates, siue etiam contra personas, quæ pro ipsis in sindicatu fideiussent, præcedatur, ita ut tam ab eis, quam ab ipsis reis principalibus, illatum damnum, inexacta debita, imdebitaque expense, & quæ in hac Constitutione continetur multæ, cum simili lucro personis prædictis applicando exigitur. Ac propterea, tam ipsi Gubernatores, Præsides, Potestates, quam Procuratores Fiscales i.e. præmissis culpabilis, officiis per eos obtentis, eo ipso priuati, & ad illa, atque alia similia de eis ero obtinenda perpetuò inhabiles, & incapaces sint, & censemuntur. Praefati vero Gubernatores, & Potestates, eorumq; Cancellarij, Secretarij, Tabelliories, aut Ministri, vel Familiares nihil omnino, ne minimum quidem occasione sindicatus huiusmodi, vel pro sententia serenda, aut pro Tabella, seu Libello consciendo, revidendo, vel licentia, vt præfertur concedenda, subscrivenda, vel taxa facienda, emolumenti, aut regalium, neque etiam pro mercede, aut labore, si-

ut aliás, ut præfertur, percipient; & si quid percepérint etiam tamquam huius Constitutiōnis vio-
latores, pñas, quæ in ea sunt descriptæ, ipso facto incurrit. Cæterum omnibus, & singulis Com-
munitatibus, Vniuersitatibus, & Populis quarumcunq. Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum, Op-
pidorum, Castrorum, & Locorum status nostri temporalis Ecclesiastici, earumq. Senatui Cōsilijs,
Adunantij, & Congregationibus, Magistratibus, & Administratoribus eorumq. singularibus per-
sonis, districte interdicimus, & prohibemus, ne quis eorum, vel earum, sub quoouis prætextu, aut
causa, etiam vrgenti, & necessaria, contra constitutionem fe. re. Sixti PP. V. Prædecessoris nostri,
quæ incipit, Inter multiplices, quam nos harum serie approbamus, innouamus, & ampliamus; Bo-
næ, aut iura sua vendat, alienet, hypothecet, aut census super illis imponat, aut pro se, præterquam
ex causa locationis tantum ad modicum tempus, & solutionibus non anticipatis, nō autem titulo
conduktionis, nec vlo modo, pro alijs obliget, siue ære alieno se obstringat, neque Legatos, seu
Oratores ad nos, & Sedem A postolicam sumptibus publicis, aut etiam priuatis, & proprijs ipso-
jum Legatorum, neque etiam si ipsi sponte id munus suscipere, & de suo proprio impensas subire
velint, vnquam mittat neve sub nomine Agentis, aut Negotiorum gestoris, vel Procuratoris, alijs
quam ad necessarium litium prosecutionem in Rom. Cur. pariter expensis communibus, aut pri-
uatis, retinere, aut mittere, neve quispiam id munus suscipere, aut obire audeat, nisi habita priuatis,
quoad obligatiōnes, & alienatiōnes, licentia, iuxta prædictæ Sixti Prædecessoris Constitutionis tē-
ñorem: Quo vero ad mittendos Legatos, seu Oratores, à nobis, vel pro tempore existente Romano
Pontifice, vel ab eo, qui consultationibus negotiorum Status Ecclesiastici pro tempore præter
dūtaxat in scriptis obtenta, sine qua, si quis id munus suscipere ausus fuerit, præter alias per Six-
tum Prædecessorem inflatas poenās, etiam officijs per eum obtentis eo ipso priuatus, & ad illa, &
alia quæcumq. obtainenda perpetuò inhabilis, & in capax, necnō infamis, & ignominia, atque infamia
notatus, censeatur. Ad hæc prohibemus pariter ne prædictæ Communitates, Vniuersitates,
earumque Collègia, Senatus Adunantia, Congregationes, Magistratus, Offitiales, aut Singulareſ
personæ vlo modo præsumant, ex fructibus, redditibus, & prouentibus collectiis, vel contributio-
nibus certis, vel incertis, ordinarijs, seu extraordinarijs, eorum Aerarij, seu massa communis, siue
ex pecunijs, etiam priuatis, & particularibus singulorum Ciuium per viam voluntariaæ collectaæ,
seu contributionis in commune congestis, etiam cuiusvis statuti, seu consuetudinis, aut verius cor-
ruptelæ prætextu ex quavis causa, etiam solita, & rationabili, Munera, aut dona quæcumque cui-
uis Legato, Vicelegato, Gubernatori, Protectori, Viceprotectori, Præsidi, Officiali, aut Persona, etiā
quavis, tam Ecclesiastica, etiam Pontificali, aut alia maiori, etiam S. R. E. Cardinalatus, quā
mundana dignitate fulgenti, seu illius consanguineis, affinibus, familiaribus, aut ministris, mittere,
tradere, aut largiri, aut in alicuius, etiam Legati, Vicelegati, Gubernatori, Præsidis, Benefactoris,
aut Protectori honorem, etiam occasione hospitijs, aut transitus, vel primi ingressus, aut ad benefi-
ciorum acceptorum memoriam, gratiæ, animi testificationem pro constituentibus, ornandis, aut eri-
gendi perpetuo, vel ad tempus portis, Arcubus, Tropieis, Porticibus, Moenibus, aut alijs monu-
mentis, seu pro prædictis personis, quavis dignitate, vel auctoritate fungentibus, honorifice, laute,
& opipare excipiendis, seu pro quibusvis conuiuijs, aut hospitijs, etiā moderatis eisdem, aut cui-
uis alteri, quacumque occasione, vel causa exhibendis, aut per personis, quæ illos comitentur, aut
illis ministrent, vel obuiam procedant præciosis vestibus induendis villas pecunias érogare, vel pro
congiarijs missilibus, aut muneribus publicis, seu etiam cibarijs esculentis, & poculantis e pulis
commessionibus, aut compotationibus, Populo, aut Magistratibus, vel Officialibus ultra corum
falaria, & emolumenta de iure, vel ex laudabili consuetudine debita, largiendis, seu pro præstandis,
pueris, vel adolescentibus, studiorum causa, alimentis, vel dotibus puellarum non egentium augen-
dis, aut pro exhibendis spectaculis, etiam pijs, & intra Ecclesiæ, vel extra eas, in quibusvis publi-
cis, aut priuatis, sacris, aut prophanis locis, etiam vbi Sanctorum, & Sanctarum vita, aut res pie ger-
stæ Populis spectanda proponuntur, siue etiā piorum operum, & caritatis, seu eleemosynæ, præ-
textu, aut alias in prædictis, seu alijs rebus superuacaneis in dicto Libello, seu Tabella non conten-
tis, sed ad pomparam, & ostentationem, aut ad oblationem, vel paucorum lucrum, & priuata
commoda quomodolibet pertinentibus, sumptus, aut impensas aliquas facere nisi re ipsa pro diui-
no cultu, & veris Christi pauperum indigentij, de consilio, & consensu loci ordinarij, subleuandis,
aut pro ijs tantum pijs ludis publicis, qui ex inueterato vsu permittuntur, & in prædicta Tabella
seu Libello exprimentur taxam à Gubernatore, seu Præside, aut Potestate ipsius Provincie, Ciuitati-
tis, aut Loci, cui subsunt præfigendam, quæ in supradicto Libello, seu Tabella comprehensa erit,
non excedentibus, sumptus huiusmodi fiant: Prohibemus infuper ne quicunq. Ciues, Oppidanii,
aut

aut Incolæ, qui suæ Communitatis, aut Vniuersitatis, bonorum detentores, usurpatores, occupatores, fuerint, quie contra ipsas Communitates item aliquam, seu controuersiam habuerint, que ad hunc effectum per solam vnicam citationem coepit, & inchoata, censeatur, eadem lite, seu controuersia durante, necnon qui eiudem suæ Communitatis, sive Vniuersitatis debitores, ex qualcumq. causa extiterint, carumue bona, aut pecunias administrauerint, antequam id quod debent integrè persolverint, seu rationes administrationis reddiderint, cum eius residui, in quo debitores remanserint, reali restitutione, ad obtinendos, gerendos, aut exercendos aliquos in ea Ciuitate, Prouincia, Oppido, Terra, Castro, aut Loco, Magistratus, aut Munera quæcunq. vel officia publica, villo modo elegantur, vel admittantur. Et si de facto electi, admissiū fuerint, Eleccio, & admissio irrita sit & nulla: Et tam ipsi, quam eligentes sive admittentes, necnon Gubernatores, Præsides, & Potestates, qui id permiserint, vel etiam exactam super his inquirendis, & prohibendis, diligentiam, prout eos teneri volumus, & decernimus, non adhibuerint, poenis in hac Constitutione contra illius transgressores infictis, plectantur. Porro locationes, seu affictus, tam vestigalium, quam gabellæ, aut datia dicuntur, quam aliorum quorūcumq. reddituum, prouentuum, iuriū, & emolumenorum, aedem commune ipsarum Ciuitatum, & Locorum Aerarium quomodolibet spēcūlūm statuimus, & iubemus omnino seruatis seruandis atq. adhibitis solemnitatibus, qua de iure, aut cuiuslibet loci statuto, vel consuetudine requiruntur, cum personis fide, & facultatibus idoneis, qua idoneas pariter in publico consilio approbatas cautiones præstent, iniri, & contrahi debere. In quibus sanè locationibus, seu affictibus, ea semper conditio, & pactio addatur, vt ipsæ Communitates, sive Vniuersitates ab omni prorsus detractione, seu remissione, & vt vulgo dicitur defalcatione, ex quo cumque ac inopinato, & insolitissimo belli incursus militum, depopulationis agrorū, direptionis, aut siccitatis, alluisionis, grandinis tempestatis, incendiij, aut alio quoquis maximè fortuito casu, atque ex quo quis capite, ac etiam legitima & vrgenti amissionis, aut diminutionis fructuum, etiam omnium, vel maioris partis, aut sterilitatis, vel alia quavis causa cogitata, vel incoigitata, cogitabili, vel incogitabili, sint, prorsus immunes, nec ad id cogi possint, etiamsi de iure tenerentur, sed integre semper responsiones & præstations, seu pensiones annua absque vlla diminutione per ipsos Conductores eis solui debeant, & quamvis pactum huiusmodi forsitan in contractibus omnissum fuerit, nihilominus vigore præsentium litterarum tacitè inesse, & subintelligi debere, perinde ac si id ipsum inter contrahentes expresse cautum, & conuentum fuisset: sublata, omnibus Iudicibus, etiam S. R. E. Cardin. ac Sacri Palatij Apostolici Auditoribus aliter iudicandi, & interpretandi, facultate. Depositarios quoque pecuniarum, & introituum communis Aerarij cuiuslibet Communitatis, sive Vniuersitatis, non aliter eligi, deputari, aut admitti volumus, nisi priusquam id munus assumant, idoneam, arbitrio Gubernatoris, Præsidis, aut Potestatis, cautionem præstent. Alioquin, tam ipsas locationes, affictus, seu appaltus, quam Depositariorum deputationes, sive electiones, aut admissions cum omnibus inde sequitis etiam obligatione in forma Cameræ Apostolicae, iuramento, aut instrumento publico, vallatas, irritas, & nullas censeri, & nihilominus Magistratus, seu Officiales, qui contractus ipsos iniuerint, Depositarios admiserint, vel in publico consilio assensem dederint, vna cum cæteris consentientibus pariter poenis in hac Constitutione expressis teneri decernimus, & declaramus. Præterea auctoritate Apostolica tenore, earundem præsentium reuocamus, irritamus, & annullamus, omnes & quascunque exemptiones, immunitates, remissions, condonations iuriū, atque onerum realium, & personalium, aut mixtorum Cameræ Apostolicae, seu corum communi Aerario debitorum, aut vestigalium, gabellarium, datorum, portoriorum, Dohanarum, Collectarum, subsidiorum, contributionum, cuius pariculari personæ pro rata illos quomodolibet tangēti, sive præfidijs, aut bonis, per eas posselsis per quascunq. Communitates, seu Vniuersitates, ex quavis causa, etiam legitima, & de iure debita, seu permitta, qualis est ob numerum xij. filiorum, & quacunque occasione, etiam sub prætextu tituli onerosi, & contractus, vltro citroque obligatorij, etiam publico consilio, & communi omnium consensu, perpetuò, vel ad tempus concessas, etiamsi id sine vlo Cameræ Apostolicae damno, aut præiudicio factum fuerit, ratamq. ipsam cædem Communitates & Vniuersitates in se suscepserint. Distritius inhibentes, ne quid tale in posterum concedere, aut attentare præsumant, ac reuocantes ex nunc in irritum quicquid circa omnia & singula præmissa, præter, aut contra hæc nostra interdicta, prohibitiones, statuta, ordinationes, iussa, voluntates, decreta, mandata, aut præcepta, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quod si quis coniunctim cum cæteris, seu diuissim, nostrarum huiusmodi prohibitionum, statutorum, ordinationum, iussionum, decretorum, mandatorum, voluntatum, aut præceptorum, violator, seu transgressor extiterit; Statuimus, vt præ-

vt præter superiorius expressam restitutionem, aut solutionem, seu damni refectionem, iij, qui præminentia, aut gradu aliquo cæteris Superiores fuerint, nisi pro viribus, id quod contra hanc Constitutionem attentatum gestumue est, impedit tentauerint, iūumque assensum omnino constanter denegauerint, omnibus, & singulis per eos obtentis dignitatibus, gradibus, munerebus, officijs, & Magistratibus, eo ipso priuati, ac tam ipsi, quam alij inferiores, qui id suaferint, procurauerint, petierint, proposuerint, aut ipsimet fecerint, vel ab alijs fieri iusterint, adiilla & alia similia, vel dissimilia in futurum obtainenda, inhabiles perpetuo, & incapaces, ac perpetua infamia & ignomina, notati, & singuli eorum si soluendo fuerint, vltra prædictam restitutionem ad duplum eius damni, quod communi massæ, seu mensæ illatum fuerit de suo reficiendum, obligati existant, minus poena exiliij, aut carceris saltem triennalis plectantur: Alii vero qui solummodo consensum tacite vel expresse præstiterint, si soluendo fuerint, tantundem pecuniarum quantum erogatum extiterit; de suo persoluant, sin autem id propter inopiam præstare nequierint, poena aliqua corporis afflictiva, Superiorum arbitrio puniantur, & eiusmodi mulierum quarta pars inter eos diuidatur, qui quantum in eis fuerit, contradixerint, seq, opposuerint, vel post consensum præstatum, erroris poenitentes, Superioribus id primi denuntiauerint. Sed & constitutiones pia mem, Bonifacij Octauj, & Gregorij xiii, Roman. Pont. Prædecessorum nostrorum contra pacificentes, promittentes, dantes, aut recipientes quicquam paruum, vel magnum pro gratia vel iustitia, pro se, vel alijs obtainenda, & contra complices, vel dantes in præmissis auxilium, consilium, vel fauorem, cum omnibus in eis contentis poenis, censuris, & extensionibus, quæ supradictis agrauatae, & addita, non autem per eas immunitæ, aut imunitate censeantur, harum serie approbamus, & innovamus, ac ad omnes superiorius expressas personas, etiam speciali nota dignas, quæ contra ultimæ dictas Constitutiones in quibusvis casibus per eas expressis, dando, recipiendo, promittendo, pacificendo, consentiendo, aut permittendo, non solum apud Sedem Apostolicam, sed in quibusvis Tribunalibus, & eorum quibusunque iudicibus etiam Laicis Almæ Vrbis, ac tam in Romana Curia, quam extra eam, in quibuslibet temporali ditioni nostræ, mediæ, vel immedietæ te subiectis, Prouincijs, Ciuitatibus, Oppidis, Terris, & Locis, deliquerint, per easdem præsentes extendimus, & ampliamus poenis alijs à iure, vel per alias Constitutiones Apostolicas, aut propria locorum statuta, vel confuetudines, contra personas, aliquid præmissorum committentes, vel omitentes, forsan decretis, vel iustitiis, nihilominus in suo robore permansuris. Quocirca vniuersis & singulis modernis, & pro tempore existentibus eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, Thefaurario Generali, necnon Legatis, Vicelegatis, Præsidibus, Gubernatoribus, Potestatibus, ac Prioribus Magarijs, Magistratibus, & Officialibus, cæterisque ad quos spectat, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, & eorum singuli quantum ad eos pertinet, current, omni studio, diligentia, auctoritate, & vigilanteja, præsentem Constitutionem firmiter, & inuolatè obseruari: Et contra inobedientes, vel transgressores, condignis poenis affimadueri, præcipue vero ipsi Legati, Vicelegati, Præsides, Gubernatores, & Potestates, contra quoscunque Communitatum, siue Vniuersitarum debitorum pro exactione integræ summae & quantitatis, quæ earum communibus Auctariis debetur, & pro tempore debebitur, summarie, simpliciter, & de plano sola facti veritate inspecta, sine strepitu, & figura iudicij, manu regia in vim prætensis Constitutionis, etiam quavis inhibitione, à m prædicto Camerario, seu Causarum Cameræ Apostolicae Generali Auditore, quam à quoconque alio iudice ordinario vel delegato, quavis auctoritate fungente etiam forsitan, in vim specialis commissionis decreta, non obstante, iuris & facti remedij opportunis procedant, & omni, & quacunque appellatione remota exequantur, eosdem inobedientes, necnon contradictores quoslibet & rebelles, per opportuna iuris & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, distarumque Prouinciarum, Ciuitatum, Terrarum, Oppidorum, & Castrorum, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia robaturis, statutis, consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis, quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel ad verbum non inserta, effectus præsentis nostræ Constitutionis impeditri, quomodolibet valeat, vel differri. Quæ omnia, quatenus præmissis in aliquo aduersentur, prossim tollimus, & abrogamus, cæterisque contrarijs quibusunque. Volumus autem, vt præsentes litteræ in valuis Sancti Ioannis Lateranen. & Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum, & in acie Campi Floræ publicentur, affixis inibi earum exemplis, & dismissis: Quodque earum exempla, seu illorum compendia latino, aut vulgari sermone conscripta, in libris quorumcunque Statutorum prædictarum Communitatum, & Vniuersitatim inserantur, & saltem

Saltem bis quotannis, in publicis, & majoribus consilijs, siue adunantij cuiusque Communitatis, siue Vniuersitatis, alta, & intelligibili voce legantur, atque in publico etiā aliquo omnibus patenti loco, vbi frequenter Clues, aut Oppidani conuenire soleant, perpetuò affixum retineatur, adeò ut si contingat exempla huiusmodi inde amoueri, aut lacerari, seu temporis diuturnitate consumi debeat omnino Piores, Massarij, Cancellarij, siue alij catundem Communitatum, siue Vniuersitatum Officiales sub priuatione officiorum obtentorum, & inhabilitatis ad illa, vel alia postmodū obtainenda, & alijs etiam grauioribus corporis afflictius penis, ipso facto incurren. curare, vt statim eadem exempla renouentur, & denuo affigantur, & si id commode fieri poterit in marmoreo aliquo lapide ad perpetuam memoriam insculpantur. Demum à singulis Legatis, Vicelegatis, Præsidibus, Gubernatoribus, Potestatibus, necnon Communitatum, seu Vniuersitatum Prioribus, Massarijs, Cancellarijs, aut quocunq; nomine nuncupatis Officialibus initio Magistratus, antequam ad illum exercendum admittatur, super earundem presentium litterarum obseruatione, iuriurandum solemne publicè præstetur. Et nihilominus post triginta dies à die publicationis, vt prætert, in Rom. Cur. facienda vnumquemque perinde arctent, & afficiant, ac si cuiq; personaliter intimata, & per eos iurata fuissent. Quodq; earum transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constituta, obsignatis, eadem profiri fides in iudicio, & extra illud adhibeat, quæ adhiberetur eisdem præsentibus si essent exhibita, vel ostense. Nulli ergo omnino hominum licet hanc paginam nostrorum statutorum, ordinationum, inhibitionum, prohibitionum, approbationum, innovationum, ampliationum, decretorum, reuocationum, irritationis, annulationis, extensionis, declarationis, iussionis, sublationis, abrogationis, præcepti, interdicti, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contrarie. Si quis autem hoc attentare præsumperit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius te nouerit incursum. Datum Roma in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominica millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, decimo octavo Kal. Septemb. Pontificatus nostri Anno Primo.

L. Dat.

M. Vestrius Barbianus-

Alexius de Alexijs.

Registrata Apud Marcellum Secretarium.

Anno à Nativitate Domini nostri Iesu Christi, Millesimo quingentesimo no^o agefimo secundo, Indictione quinta die vero vigefimapi-
ma Mensis Augusti, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis diuina prouidentia Papa Octavi, Anno
clius primo, supradicti litteræ, affixæ & publicatae fuerunt ad Valvas Basilicarum Sanctorum Petri, & Ioannis Lateranen. de Urbe,
necnon in Acie Campi Flora, & ad valvas Cancelleriarum Apostolicarum, per nos Josephum Spadam, & Paschalem Sanctorum prali-
cati S. D. No. Papæ Cursors.

Franciscus Baron Mag. Cuf.